## PARMIGIANINA

1

Quousque tandem abutère, Catilina, patientiâ nostrâ? quamdiu etiam furor iste tuus
nos eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum
præsidium Palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bono-
rum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultus-
que moverunt? Patère tua consilia non sentis? constrictam jam omnium horum con-
scientiâ teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte
egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrûm ignorare
arbitraris? O tempora, o mores! Senatus hæc intelligit, consul videt: hic tamen
vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps: no-
tat et designat oculis ad cædem unumquemque nostrûm. Nos autem, viri fortes,
satisfacere reipublicæ videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te,
Catilina, duci, jussu consulis, jampridem oportebat: in te conferri pestem istam,
quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, ponti-
fex maximus, Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicæ, privatus
interfecit: Catilinam vero, orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem, nos
consules perferemus? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod Q. Servilius Ahala Sp.
Melium, novis rebus studentem, manu sua occîdit. Fuit, fuit ista quondam in hac
republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acer-
bissimum hostem coërcerent. Habemus enim senatusconsultum in te, Catilina, vehe-
*mens et graves non deest reipublicæ consilium, neque auctoritas hujus ordinis:*
*nos, nos, dico aperte, consules desumus. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius*
*consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit; inter-*

MARCUS TULLIUS CICERO ARPINATENSIS ORATOR

ATQUE LATINAE ELOQUENTIAE PATER AC FACILE PRINCEPS.

PARMA